Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 923
Quelle:
Copyright:

Vaſcula concreto (vel *concretae*) *fragilis* (vel *fragili*) *de pulvere cretae.*

Verum vel ſic plura in his Diſtichis ſuperſunt, quae immedicabilia videntur.

CCCCIII.

R. 2000 Codex membraneus lat. Sec. XV. ineuntis Folior. 156. f. per duas columnas non una manu, probe tamen exaratus, rubricis enotatus, et, ut pluribus locis praefert, quondam *Fratrum domus Porte beate Marie virginis in Axpach ordinis Carthuſienſium Prouincie Auſtrie* ita orditur: *Incipit prefacio Yſidori in explanacione hyſtorie Diuine legis.* Habemus itaque ſancti doctique Praeſulis *Commentaria in V. T.* prout in edit. *Pariſ.* 1601. f. p. 413. adpellantur, et quidem integra, nec ſpernendi exempli, ut enim pluries peccet, ſufficit tamen etiam quaedam lectioni editae praeferenda. Ita in *Praef.* malim *canorum aliquid reſonant*, quam *ſonorum aliquid reſonant;* item *non noſtra legat — relegat*, quam *non noſtra legit — relegit. Cap. 1. tenebroſum et profundum*, quam *tenebroſum et fluidum;* item *in eccleſia lucis nomine*, quam *lucis nomine* &c. Ad calcem adſcripta ſunt XLVIII. illa Diſticha in *Bibliothecam* et *Pigmentarium* eodem modo, ut ſupra dixi, ſe habentia, quae cum pariter excipiat miniata illa Clauſula: *Explicit liber yſidori in explanacione hyſtorie legis diuine*, lectioque varia paſſim conſentiat, dubium mihi vix eſt, pro more, quo Coenobia Codices ſibi communicabant, hunc e ſuperiore deſcriptum fuiſſe.

II. *fol.* 85. p. 2. vacua currente calamo adſcripta eſt Expoſitio V. 1. C. V. *Iſaiae: Cantabo dilecto meo Canticum*, qua verba haec ſingula myſtice expenduntur.

III. *fol.* 86. *Incipit Honorius ſuper Canticum canticorum.* Frequenter et ſuperiore, et hoc *Vol.* recenſum eſt Opus iſtud, motumque dubium, an *Honorius* hic re ipſa ſit *Auguſtodunenſis* ille Literatoribus cognitus. Initium in hoc Exemplo pariter eſt: *Symoni donum ſapientie cum Salomone poſcenti* &c. memoraturque mox ejus *predeceſſor beate memorie venerandus Abbas Chuno.* Multa ceterum Inſcriptionum miniatarum differentia, nec rara, ſi cum Editis *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1153. contendas, lectionis varietas. Ad calcem rubro: *Explicit Honorius ſuper Canticorum. Cibus eſt perfectorum. Amen.*

IV. *fol.* 154. *Concordantie veteris ac noui teſtamenti.* Ita concinnatae, ut ab Annuntiatione adventus Chriſti usque ad adventum Judicis ſingulis Myſteriis adcommodetur, quidquid in Lege veteri aliquam habet Figurae ſpeciem. Ineunt hoc modo: *Annunciacio filij dei. Conceptio virginis Marie. Nunciatur Abrahe yſaac natiuitas Gen. 17. Predicit angelus parentibus ortum Sampſonis Judic. 13. Datur Gedeoni ſignum in vellere*

Judic.